



Qui filium se hominis saepenumero dixit in codice sacro & homine natum, vt, verum se hominem esse verumque hominum Seruatorem, minime dubitarem, eum quod puerum duodecim annorum amisisse dicuntur a legentibus D. LVCAM (1) sui parentes, culpam plerumque solent quam vehementissime, idque a Viris auctoritate summis, quorum merita sunt in rempublicam Christianam immortalia (2). Quos vt veneramur merito & aetatem veneraturi sumus, plurimumque idcirco amamus, quod cultoribus Mariae & Iosephi nimisquam superstitiosis eunt obuiam, ita propitios nobis fore speramus, si pauca quaedam attigerimus per hanc occasionem, quibus quodammodo parentes hi de filio hoc, sui interdum iuris facto, excusari posse videantur. Annon enim, obsecro, parum magnifice sensissent de huius tanti Filii ingenio vere diuino, si non minus valde Hunc a se, quam a gallina pullum, vt ita loquar, custodiendum putassent? Istine puero, qui dudum ita creuerat, ita confirmatus fuerat spiritu, vt repletur sapientia sibi que adiunctam habere cerneretur DEI gratiam (3), non hoc debebant parentes, vt liberius viuendi concederent quibusdam saltem temporibus potestatem? Praesertim quum vel de vnoquoque puero istius aetatis & frugi id sperare licuisset, fore, quoniam peregrino in loco praeter peregrinos aderant cognati & familiares (4), vt se his potius, quam illis, adiungeret securitatis causa, nec aut horum aut parentum ipsorum societatem sine causis grauissimis desereret, aut quoquam discederet, vbi se aut minus tutum fore, aut non facile quaesitum in, prospiceret. Quo factum est, vt Ille ne posse quidem videretur amitti, si quidem amittitur illud, quod ita elabatur manibus, vt, quibus in locis ratione quaeri poterat, ibi non inueniatur. Taceo causas plures, cur fieri nequiret, vt a Maria suus Filius, qui Filius simul erat aeterni Patris, simul DEVS, amitteretur (5). Ac LVCAS quidem dum rem omnem enarrat, studio, arbitror, & industria, per Sanctum DEI Spiritum gubernata, nullum ponit vocabulum, quod de amissione interpretandum sit, factamque aliquam esse CHRISTI iacturam, quae non poterat esse vlla, significet. Ita ille (6): *Remansit puer IESVS*, inquit, *Hierosolymae, neque id norant parentes*, Quod quidem amiserint eum, hoc ne verbulo quidem indicat. Quid, quod Ille ipse denique, cuius agebatur vita atque incolumitas, si quid in tutela sui ac custodia parentes desiderari paterentur, tandem, quum deprehenditur in templo sedens, de eiusmodi re nulla quidquam conqueritur? Adeo non Ille se amissum arbitratur, vt potius quaesitum se esse a suis parentibus, hoc aegre ferat, dum: *Quorsum me*, inquit, *quaerebatis* (7)? Quasi diceret: Qui poteram credi amissus esse a vobis, qui scire debebatis, vbi certissime essem, si alias nullibi, inueniendus? *An nesciebatis, me debere esse in eo, quod est Patris mei?*

Sed illorum Virorum iudiciis, quorum talia versantur quotidie manibus, permittantur haec, quae ne nunc quidem ego protulissim, nisi referre arbitrarer, quam accuratatione ac diligentia legatur omne illud, quidquid legitur in codice sacro. Verba autem illa LVCAE, ad quae breuissime hoc, quidquid est, commentati sumus, quum more maiorum pioque ex instituto annuo publice, sicut rem illam gestam omnem, declarari audiuerimus pridie eius diei, quo ex hac vita discessit Filius a Parentibus suis maestissimis hodie sepeliendus, merito Hos per horum verborum occasionem recordari existimo, non a se amissum esse illum, quem requirunt *ιδουαίμους* (8), sed inueniendum esse in domo Patris sui, in qua vt sunt, quemadmodum ait sanctissimus Seruator (9), *mansiones multae*, sic quoque est certissime mansio Illius. Nec vero nunc ego id agam, vt operosius hoc demonstrarem, quippe quod, quum ex causis aliis quam plurimis, tum vel ex vitae Eius perspicitur ratione laudabiliter actae pieque ab Illo & religiose finitae. De qua nunc paullo vberius, vt quaedam hoc etiam monumento celebretur Ipsius memoria, sequitur, vt exponam.

IOHANNES HENRICVS BVRGHARDI, Lubecensis, trium fratrum minimus, accepit hanc lucem Anno huius Saeculi XLIII. a. d. XVII. Augusti, cosque Parentes nactus est, qui & potuerunt in hoc filio spem sibi natam & studuerunt omni tempore alere, sustentare, amplificare, indolemque haustam a Maioribus seruare ac nutrire.

Pater Optimus, Vir admodum reuerendus & praeclarissimus, **ADDE BERNHARDVS BVRGHARDI**, Pastor apud nos fidelissimus ac meritissimus coetus illius sacri, cui a D. Petro antiquum nomen est, in oculis viuit ciuium & in laude praeclara, meritis indubitatis parta, Mater, spectatissimum decus sui sexus, & genere & virtute nobilissima Matrona, **ANNA HENRIETTA**, gentis est **WOLDTIAE**, meritissimorum apud nos virorum procreatrix.

Auus

(1) Luc. II. 41 — 52. (2) Ita ipse D. LVTHERVS, quem spernere, est prope insanire, certe delirare, in *Postilla Eccles.* ad hunc LVCAE locum: *Vnd ist jetzt Maria in gleiche Sünde, wie onser erste Mutter Heva gefallen, welche das ganze menschliche Geschlecht in Verderben bracht hat. Denn was sind alle Sünden gegen dieser, daß sie das Kind, Gottes Sohn und der Welt Heyland, so vbel verwarhloset und verleuret? Vnd ob er wäre verlohren blicben, so wäre sie ein Vrsach gewesen, dadurch das Werck der Erlösung der Welt verhindert wäre.* Ita ille, qui haec quoque Megalandri verba adducit, ven. CHRISTIANVS SIGISMVNDVS GEORGIVS in *Apparatu philologico-Theolog.* ad *Euangelia* Vol. I. p. 348: *Iosephum ac Mariam negligentia & culpa Iesu amissi absolui posse, Pontificiis dabimus nunquam, qui scilicet pugnant pro Iosepho tanquam vno ex numero Semideorum, pro Maria vero, quasi experte labis illius, quae in caeteris haeret omnibus a natiuitate. Vac superstitioni! Idem GEORGIVS prouocat etiam ad BACKII *Exposit.* *Euangel.* p. 295. (3) Luc. II. 40. (4) Nam ita LVCAS c. II. 44: *Quaerebant eum* (parentes) *inter cognatos & familiares, in τοῖς συγγενεῖσι καὶ ἐν τοῖς γνωστοῖς.* (5) Idem est iudicium D. LVTHERI eodem loco, ex quo antea quaedam verba depromebamus, vbi: *Vnd ob er wäre verlohren blicben, inquit, oder (weil er nicht kunt verlohren seyn) Gott ihn wieder zu sich genommen hätte, so wäre sie eine Vrsach gewesen &c.* Atque hanc Filii DEI Maiestatem GEORGIVS dum praeclare vrget, re vera simul excusat, ni fallor, parentes, haec ibi scribendo, vbi diximus: *Rationes habuisse Iesum, cur inconsultis parentibus remaneret Hierosolymis, bene quidem scimus, sed quas, ignoramus. Forte non indigebat Dominus dominorum parentum consilio & venia. Forte voluntas Patris caelestis adeo promte erat exsequenda, vt ne tempus quidem ipsi superesset parentes consulendi, vel veniam ab ipsis petendi. Forte ratione muneris Prophetici non tenebatur parentum veniam exorare, et quae sunt aliae rationes probabiles plures. Ergo non erat parentum, in has Filii rationes inquirere, sed liberum ipsi relinquere arbitrium.* (6) Luc. II. 43. (7) Ibid. v. 49. (8) Ibid. v. 48. (9) Ioh. XIV. 2.*